

illorum commodissime est collocatus .

ADIVNGIT *Albumasar* in suo magno introductorio, tractatu' 3. differentia' 3. quod ob id *Deus gloriosus Solem planetarum nobilissimū, atq; maxime actiuum* in medio aliorum planetarum collocavit, quia si immediate constitutus fuisset infra cælum octauum, & supra Saturnū, non posset propter nimiam distantiam a terra commode in hæc inferiora agere; immo omnia hæc inferiora frigerent quodammodo; si vero immediate supra Lunam positus fuisset, etiam non satis commode suo motu in hæc inferiora ageret, quia tunc nimis tarde moueretur, propter distantiam nimiam a primo mobili: Quemadmodum etiam in rota quavis partes illa, quæ magis recedunt a circūferentia, magisq; ad centrū, seu axem accedunt, remissius mouentur. Adde quod tunc propter nimiam vicinitatem ad terram omnia hæc inferiora combureret. Quæ ob rem in medio planetarum congrue ponetur, ubi actionem suam habet temperatā, & hisce inferioribus magis accommodatam. Ut non temere apud *Ouid. 2. Metamorph. Phæbus Phæontem filium quadrigam Solis temerarie conscensurum commonuerit dicens.*

*Alius egressus cælestia signa cremabis:*

*Inferius terras: medio tutissimus ibis*

Voluit enim eo in loco significare *Ouidius*, Solem in medio loco planetarum habere actionem suam temperatam, non in alio, & ideo ibidem esse proprium eius locum.

QUOD autem *Mercurius* quoq; conuenienter statim supra Lunā, & sub *Venerē* collocetur, persuadere nobis videtur eius motus irregularis. Est enim *Mercurius* multo magis irregularis in suo motu, quam *Venus*, propter quod *Astrologi* tribuerunt *Mercurio* quinque orbis, & epicyclum; *Veneri* autem tres tantum orbis, & epicyclum. Consenta neven igitur rationi esse videtur, potius *Mercurium* supra Lunam constitui, quam *Venerem*.

ORDINEM porro planetarum, quæ hæctenus comprobauimus, videntur omnes antiqui dierum hebdomadæ institutores, atq; denominatores confirmare. Imposuerunt namq; diebus nomina a planetis, quem libet videlicet ab eo planeta, qui prima illius diei hora dominū obtinet, denominando. Singuli enim planetæ singulis horis diei suo ordine præesse dicuntur ab *Astronomis*. Vnde cum dies contineat 24 horas, necessè est, vt si die Sabbati prima hora dominatur *Saturnus*, a quo denomina-

tur